



# ALBANII ALBANESII

PRIMARII LOGICÆ PROFESSORIS

Epitomes Logicalium Dissertationum  
publicè habendarum.



Rincipium erit Titulus, siue inscriptio secundi Lib. Poster. qua occasione obiectiones contra titul. à Ioan. Grammatico moræ diluentur, Aristot. à contradictionibus vindicabitur, & illius consilium confirmabitur.

Cum resolutio vna ex præcipuis methodis sit numerus methodorum proponetur, vniuscuiusque essentia explanabitur nexus, & habitudo.

Promouebitur inde ardua de subiecto secundi Lib. Post. Quæst. Philop inter Græcos fundamenta, Diui Thomæ inter Latinos rationes, inter recentiores Suesiani agitabuntur, pensantium materiam secundi Lib. esse medium demonstrationis, ex aduerso latere Alexandri Afrodicensis, Auerrois Linconiensis, ac Eustratij opinio priori sectæ omninò diuersa proponetur autumantium definitionem, vt alterum instrumentum sciendi esse formale secundi Libri obiectum, potiozem, & magis veritati conformem eligendo altera penitus euerfa.

Abolutis hisce vniuersalibus prælectionibus exponetur Cap. primum secundi Lib. de quæst. numero essentia, ac habitudine inter illas, & promotis difficultatibus, quæ veritati, & Phyl. aduersantur circa numerum, & essentiam quæstionum, illis eneruatis, & solutis, stabilitus earundem a Phylosopho numerus, & illius producta fundamenta confirmabuntur.

**Theorema discutiendum proponetur in cap. secundo. Vtrum omne demonstrabile definibile sit, & eiconuerso, quod cum Phyl. negatiue concludetur, & quia necessitas propositionis non solum falsificat propositiones contrarias, verum, & contradictorias ostenso omne demonstrabile non esse definibile, inferetur, & alia contradictoria omnino vera; aliquid definibile non esse demonstrabile.**

Silogismum duplantem Zenocratis, non habere virtutem in illatiam colligendæ necessario definitionis in cap. tertio demonstrabitur, immo Silogismum hunc omnino absurdum esse ostendetur, quia absurda contingit petitio principij, de qua fusè Arist. primo Elenc.

Quapropter, & aberasse Platonem pensitantem Silogismum diuisiuum esse necessarium ad Silogizandam definitionem in cap. quarto cum Phyl. proponetur, eadem enim errata contingunt, quæ Zenocrati circa Silogismum duplantem obiiciuntur.

Hicce delibatis agitabitur speculabile Problema in cap. quinto, quod Aristoteles effingit; Vtrum definitio, definitionis, definitione inotescat, Vtrum Silogismo a contrario demonstratiue Silogizetur, an ex concessis, an inductione, an sensu, & nullum ex his instrumentis necessario concludere definitionem, & quod quid est exponetur.

Aduersantium tela pro Antiquis contra Aristotelem in Auctores contundentur, & Antiquos hicce instrumentis adictos pro demonstranda definitione aberrasse manifestabitur.

Non rationibus tantum proprijs peculiaribus instrumentis conformatis ad illorum euerfionem, sed communibus etiam argumentis horum instrumentorum inefficacia probabitur in cap. sexto, & incidenter Io. Grammatici circa Cap. expositionem sententia, vt confusa reijciatur, & cum Diuo Thoma Phyl. consilium plane aperietur.

Problematis determinatio circa modum demonstrandæ definitionis habebitur in capite septimo, & vnam definitionem sub ratione passionis sumptam nempe materialem demonstrari: alteram verò nempe formalem tanquam medium demonstrationis facta demonstratione elici in entibus habentibus diuersas causas determinabitur.

Qua occasione agitabitur Quæst. & Comment. fundamenta producta ab ipso primo Poster. comment. vndecimo contra Alfarabium, & Auicennam examinabentur, Diui Thomæ, ac Scoti sententiæ ad trutinam veritatis reuocabuntur, Eustracij, Io. Grammatici, ac Temistij in secundo Poster. tex. octauo, rationes expendentur, & tandem omnibus ad lancem veritatis redactis, quid pro veritate sentiendum sit aperietur.

Causas omnes media demonstrationis esse dilucidabitur in cap. octauo, & rationes exemplis collustrabuntur quas Phyl. inserit.

Hoc absoluto conclus. erit diluenda in Capit. nono, quomodo causæ per suos effectus inotescant, quo loci distinguendæ erunt causæ, & effectus, & proportionate causæ erunt effectibus apponendæ, quem ordinem ex rei natura in eodem Capit. Aristot. metitur, & posteris cognoscendum tradit.

Cæterum quia causæ aliæ simul sunt cum effectibus, aliæ verò priores absoluto modo, quo causæ, & effectus simul temp. inotescant, & qualem demonstrationem subeant, qualem sortiuntur demonstrationis speciem causæ suis effectibus priores exarabitur in cap. decimo.

Quoniam verò naturæ ordo exigit vt entia aliâ recta generatione fiant, alia per circulum producantur, qualem sortiuntur demonstrationis formam circulo genita ostendetur in Cap. vndecimo.

In Cap. duodecimo, quod tertiam, & vltimam tribus sequentibus Capitibus partem absoluit excitabitur Theorema discutendum de modo construendæ definitionis, & ostenso quibus propriè definitio competat, vniuscuiusque distiabilis essentia per proximum genus, & atomas differentias circumscribetur.

Porrò cum def. medium demonstrationis sit docente Phyl. primo Poster. text. 64. varia Problemata circa demonstrationis media absoluentur in Cap. decimo tertio.

Cum causa, & medium vna coeant ex 2. Poster. Cap. 1. promouebitur quæst. an valeat illatio ab effectu ad causam, & an vnius effectus plures possint assignari causæ. Hoc autem terminabitur in Cap. decimoquarto, & fundamenti producti veritas constabit non exemplis tantum per alphabeticos characteres productis, sed exemplis ex rei natura petitis.

Tandem in huiusce Operis Coronide pulchrum, sed arduum de modo cognitionis principiorum Problema promouebitur, quod enodandum, suscipit Aristoteles in Cap. vlt. quod iam præstiturum ipse promiserat in primo Post. cap. secundo, qua occasione incidenter Platonis circa animæ nostræ cognitionem placita, & proponentur, & si veritati oberunt cuertentur.

PATAVII, MDCLXXXVI.

---

Apud Cadornum, Sup. Perm.